

rerent, non caeleste illud theatrum, quod oculus non vidit, auris non percepit, tam temerario ausu ascenderent, non denique omnia divina axiomata, quae certe *αυτοπικα*, ita arroderent, & secundum iudicij cellulas, & rationis capsulas describerent, iudicarent. Quin potius de illis omnibus ac singulis pie & reverenter sentirent, sanctè & modeste loquerentur.

IV.

Quare cum inpraesentiarum de arduo isto, & à multis fatis agitato ac ventilato mysterio, quod de prima agit persona S. S. Trinitatis, DEO scilicet Patre, caeli terraeque conditore summo Maximo, & ejusdem attributis divinis, pauca sumus pro instituti nostri ratione acturi: Fiat id non corrasis undique Philosophorum argutijs, nec Scholasticorum hinc inde contortis opinionibus ac suffragijs, nec denique compilatis quorundam Theologorum autoritatibus: sed ex folis S. Scripturae fontibus ex solo Spiritus Sancti afflatu & ductu. Hujus mentem sectabimur unicè, huic rationem nostram subjiciemus humillimè, hanc denique praevium ac doctorem sequemur maculè. Qui & ita in nobis operabitur, quò neque in excessu, spinosa perscrutando, neque in defectu, necessaria omittendo, laborare videamur. Nam sicut flamma corpus paululum remotum illustrat, nimis autem admotum adurit; sic arcana divina ab intervallo visa, mentis contemplationem illuminant; propius & scrupulosius excussa, adurant, inquit Augustin. Serm. 6. de Verb. Apostoli. Et idem paulo post: Loqui volentes de Dei profundo, meri sunt in profundum.

V.

His ita praemissis ulteriori sine proloquio rem ipsam aggredimur. Quam ut omnibus ordine ac breviter expeditam monstremus; definitionem seu potius descriptionem Primae S. S. Trinitatis Personae, Dei scilicet Patris, ex orthodoxorum Theologorum monumentis exhaustam, & sacris divinae scripturae oraculis erutam proponimus. Est enim illa Anchora eorum omnium firmissima, teste Scaligero Exercitat. 301. sect. 1.

& μ. 6.